



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Nicolai Cavssini Trecensis, E Societate Iesv, De Eloqventia
Sacra Et Hvmana Libri XVI**

Caussin, Nicolas

Coloniae Agrippinae, 1634

8. De Pedibus Periodi: Ex Halicarnassensi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70090](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70090)

Membrum est oratio sensus perfecti, sed suspensi, è toto corpore periodi abrupta: vel res breuiter absoluta, sine totius sententiæ demonstratione. Hoc Demetrius cum manu comparat, quæ ita pendet à corpore, vt in se cumulatam habeat nature suæ perfectionem. Id si longius fuerit *χρονωρις* appellatur, vt auctor est Hermogenes.

*Quid ex
verbi.*

Est igitur colon, *Antequam P. C. dicam ea, qua hoc tempore discenda arbitror.* Vides sensum suspensum: Assume reliquam partem, & confice periodum. *Exponam vobis breuiter consilium profectonis, & euerisionis meæ.*

Articulus, siue comma dicitur, cum singula verba intervallicè distinguuntur: cæsa oratione hoc modo: *sermonia, voce, vultu, aduersarios perterruisti.* Est igitur comma pars coli, siue membri, vno, vel pluribus verbis constans.

Hinc multiplex periodus secundum varia intervallicè distinguitur, alia oratoria, alia historica, alia simplex, alia composita, alia magna, alia parua, alia mediocris, alia etiam perigraphæ appellatur.

Oratoria amplior est, & lussior, qua vtuntur Oratores

Historica strictior, ad vsum historicorum.

Simplex, quæ vnicò longiori membro constat. Tale est exordium pro Cluentio; Animaduerti omnem accusatoris orationem in duas diuisam esse partes.

Composita, quæ fit ex nexu plurium membrorum, vt superior; (Antequam, Partes conscripti, &c.)

Magna, quæ maioribus colis, aut pluribus, quàm quatuor constat.

Parua, quæ paucioribus, quàm quatuor.

Mediocris, quæ quatuor intermissionum ambitu definitur.

De pedibus Periodi.

Ex Halicarnassensi.

CAPVT VIII.

Dionysius Halicarnassensis, Rhetor quidem præstantissimus, in libro de compositione nominum pedes oratorios sic numerat, & probat.

Primus est Spondeus aptus, & grauis.

Iambus non omnino est ignauius, sed aptus humili, & attemperato sermoni.

Trochæus mollior est, & humilior.

Pyrrichius est tenuis, & planè demissus.

Tribrachus nihil habet venustatis, & grauitatis.

Molossus ex tribus longis, vt *errores*, planè grauis est.

Amphibrachus ex duabus breuibibus, & media longa, vt *amare*, non est adedè heroicus.

Anapæstus grauis, & aptus ad seria, atque affectus exprimendos.

Dactylus optimus est, & heroicus, aptusq; rebus amplioribus.

Creticus, siue amphimacer ex duabus longis, & media breui, vt *castus*, non est repudiandus.

Melior tamen Bacchius ex duabus longis, & vltima breui, vt *laudare*.

Hyperbachus ex prima breui, & duabus longis, vt *habere*.

Dochimus quoq; pes est insignis, ex quinque syllabis, prima breui, duabus longis, breui, & longa, vt *amicos tenes*.

Dichoreus ex duobus trochæis, vt *sempiternus*, volubilis, & aptus maximè in clausulis.

Item Pæon primus, ex prima longa, & tribus breuibibus, vt *conterere*. Pæon secundus, ex tribus breuibibus, & vltima longa, vt *temeritas*.

Et hi frequentiores sunt apud Oratores.

De numero, & Mixtura pedum.

Ex Cicerone.

CAPVT IX.

Non est hic meum consilium varias de numeris, & pedibus atcessere sententias, & in ista labyrinthi perplexitate sine fructu ludere iuuenilius.

Equidem existimo totam illam tractationem à M. Tullio tanto iudicij pondere, & sententiarum nitore descriptam, vt qui in hoc opere videatur laborasse contentius, cætorum scriptorum vel studia restinexerit, vel ingenia sua claritate preserit. Quamobrem, ne gestum totam Roscio agere in scena videamur, faciam quod mei est institutum. Primum, quid præcipiat exponam: deinde quid de sæ-